



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 113. Cæsar Gherardus Cardinalis fati functus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. Nobilis Ferrariensis jurisprudentiæ
A. C. 1623 scientia eminuit, unde Rotæ, ut vo-
 cant, Romanæ Auditor creatus, hoc
 munere per viginti sex annos laudabi-
 lissime defunctus est, tandem Basilicæ
 Vaticanæ Vicarius, & a Gregorio XV.
 Datarius, dein Presbyter Cardinalis
 renuntiabatur, non sine totius Curie
 Romanæ applausu, quæ tot meriti cla-
 rum atque in peragendis gravissimis
 rebus spectatæ fidei Virum honore illo
 dudum dignissimum censebat, tacite
 Paulum V. quod illum præteriisset,
 fuggillans, hoc dicto: *Lapidem, quem
 reprobaverunt ædificantes, factus est in ca-
 put anguli:* Sacratum enim in scuto suo
 gentilitio ferebat lapidem. Dein di-
 missio Datarii munere Academiam in
 suis ædibus Theologicam instituit, plu-
 ribusque Congregationibus dignissime
 præfuit, ac Viri singulari prudentia, &
 virtute probata ornati laudem ad seros
 posteros transmisit.

§. CXIII.

*Cæsar Gherardus Cardinalis fati
 fundus.*

Ughel. l. c. Non minus legalis disciplinæ scien-
 tia celebrem sese reddebat Cæsar
 Gherardus patria Perusinus, qui Pe-
 rusiæ, Firmique viginti annis jus Pon-
 tifi-

tificum interpretatus, atque a Scipione Cardinale Burghesio Literatorum Sæc. XVII. A.C. 1623. favore Romam evocatus, audiendis caussis præficietur, postea a Paulo V. inter Vaticani Canonicos & utriusque Signaturæ Patres relatus: cum vix duos annos in Aula Romana expleffet, festino gressu ad Purpuratorum Collegium ascendit, Camertensi Episcopatu a Gregorio XV. honoratus, quem ei tamen unacum Purpura anno ætatis suæ quadragesimo sexto nondum exacto mors nimium præmatura die prima Octobris eripuit, relicto ingenti sui desiderio; in eo enim scientia & pietas de palma certabant, cumque Cæsar non nisi ad maximas spes provectus videretur, indefesso suo omnes juvandi ardore doloris ob sui jacturam concepti sensum immodice augebat.

§. CXIV.

Lucii Sanseverini Cardinalis obitus.

Postremus denique ex Purpuratis, qui hoc anno naturæ debitum solvere cogebantur, erat Lucius Sanseverinus patria Neapolitanus, qui ex Bisinianis Principibus die secunda Decembris natus, a Clemente VIII. Rossanensis primum, postea a Philippo III. Hispaniarum Rege Salernitanus Archipræsul nomi-

*Ciacon. in
vita Gre-
gor. XV.
p. 483.*